



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1604**

Vita S. Hermelandi Noviomagensis, primi Abbatis Antrensis: ex ea quæ est  
apud Surium. Obijt anno Domini 690.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42667**

eiusdem Dei nostri Iesu Christi: cui gloria, & Imperium, cum patre, & sancto Spiritu in secula seculorum, Amen.

VITA S. HERMELANDI NOVIOMAGENSIS, primi Abbatis Amrensis: ex ea qua est apud Surium. Obijt anno Domini 690.

Vide Cxf. Bar. in not. Mart. Rom.

**H**ermelandus apud Nouiomagenses nobilissimis ortus parentibus, cum maximam sui spem admirabili quadam ingenij dexteritate commoueret, a parentibus literarum studijs traditus est. Ibi tum ille omnes coetaneos tanta discendi celeritate antecessit, ut parentes non mediocriter laudibus eius, quae in ore omnium versabantur, delectati, a scholis abductum, regio ministerio deputarent. Sperabant enim, ut hac ratione non modo parentes adaequaret, sed longo etiam interuallo gloria superaret. At vir Dei Christi amore ebrius, animi nobilitatem carnis nobilitati longe anteferebat, & assidua mente & cogitatione quomodo se aliquando terrenarum rerum curis extricaret, voluebat. Sed ne patris imperium plane negligere, & parentum voluntatem aspernari videretur, passus est se titulis & honoribus decorari, ita tamen ut intimis animae medallis, Christi humilitatem retineret semper. Factus itaque Francorum regi Clotario a cyathis, partim amicorum precibus, partim etiam parentum auctoritate, nobilissimi cuiusdam viri filium, coniugem sibi accipere coactus est. Ille quamuis a nuptijs vehementer abhorreret, animum tamen vultu egregie texit, donec oblata occasione, modestè admodum regi se aperiret, & infimis precibus, ut posthabita terrena militia, ad Christi se castra

25. Martij. Natales eius clari.

Ingenij eius felicitas.

Cogitur esse aulicus.

Fit regi Francorum a cyathis. Puella ei despondetur.



Perit à rege  
missionem.

se castra transferre liceret postulare. Rex hac postulatione percussus, hortatus est eum, ne in illo ætatis flore ab ipso discederet. At ille non precibus modò, sed rationibus etiam voluntati regis obuiavit, tantaq; verborum & sententiarum virtute pugnavit, vt Rex diuino correptus timore, Dei vindictam, si diutius voluntati eius resisteret, vehementer formidaret. Hermelandus igitur, hisce

Monachus  
fuit, in cœno-  
bio Fonta-  
nellensi.

vinculis solutus, statim è palatio regis ad Fontanellense cœnobiũ se contulit, vbi excellenti vitæ integritate non modò iuniores, sed illos etiam qui omnes corporis vires, in diuinarum rerum contemplatione triuerant, superauit. Præerat tunc temporis illi monasterio Lambertus, vir omnibus virtutum disciplinis excultissimus; qui Hermelandum propter clarissimam virtutis indolè, quam in eo cernebat, egregiè carum habebat, & honore etiam prosequeretur, dignumque censebat, qui sacris aris admoueretur. Igitur ab eius loci Episcopo Audoëno sacerdotio initiatus, virtutum suarum splendorem clarius exhibebat.

Fuit presby-  
ter.

\*Pasquarius

Per id tempus Nannetensi ecclesiæ, Pascharius Episcopus præerat, qui pro eximia sua in Deum pietate, frequenter de monastica vitæ perfectione, luculenta admodum oratione ad populum differebat, multisq; rationibus, quàm utilis & necessaria toti provincie istorum hominum cõsuetudo foret, declarabat. Nam quamuis non infrequens esset ibidem monachorum habitatio, tertij tamen ordinis, vt appellabant, professio, ijs incognita erat, quæ tunc tēporis, reliquos monastica vitæ professores longè anteibat; Igitur populus Episcopi sui rationibus inductus, tertij ordinis monachos vehementer expetere, & Episcopum precibus & pollicitationibus vrgere cõ-

pit,

pit, vt homines pietate & religione præstantes acciret; quorum precibus contra diuini numinis iram tuti consistere possent, & eorum pariter cōsuetudine ad omnem virtutis amorem paulatim traduci. Placuit hæc res antistiti; nec mora interposita, legatos ad Lambertū destinauit, per quos viros in omni virtutis exercitatione præstantissimos obtinere nitēbatur. Lambertus habita secū deliberatione, Hermelandum huic itineri delegit, ei que quidnam ad pacem, & otium fratrum constituendum fieri vellent, explicauit. Postremò, commēdata illi sanctissimæ religionis & disciplinæ obseruantia, cum benedictione à se demisit. Hermelandus vt erat non modò pietate, sed rerum etiam agendarum prudentia insignis, vbi primū ad Nannetensem episcopum peruenit, summa diligentia omnia quæ ad cælestis vitæ in terris constituendæ quietem spectare videbantur, pertractauit; locum que ab hominum conspectu remotissimum elegit, cui ob id ipsum Antrū nomen imposuit. Erat altum ibi silentium, tanta tranquillitas, vt anachoreticam appetentibus vitam, mirificum eremi desiderium adferret. Nec mora, Hermelandus & loci amēnitate, & antistitis benignitate inuicatus, continuò monasterij fundamenta iacere, & duo insigni opere templam edificare cœpit, breuique mulcorum auxilijs adiutus, ad culmen deduxit; alterum D. Petro, alterum verò Paulo dedicauit. Rex quoque, quibuscunque potuit ornamentis, cœnobium amplificauit. Interea multi contemp̄to seculo sese in eā societatem receperunt, multi suas proles illic Christo militaturas obtulerunt, tantaque illo patre & ad numerum & ad virtutem ac vitæ sanctitatem indies facta est accessio, vt huius rei fama

Nannetensis  
episcopi, ad  
S. Lambertū  
legatio.

Hermelandus, locum  
monasterio  
constituendo  
idoneum e-  
ligit, eumque  
antrum ap-  
pellat.

Antrēse  
monasteriū  
construitur.  
Multi se ad-  
iungūt Her-  
melando.

se

visio s. Her-  
melandi.

se longe lateque diffunderet.

Nocte quadam, vir sanctus pro sua consuetudine diuine contemplationi intentus, vidit Abbatem Maurenti viri valde venerabilis animam, ductibus angelis, ad caelos migrare. Cumque in eam diutius oculos fixisset, fratres dato signo ad orationis studium vocauit, hortatusque est omnes, ut deuotis precibus viri optimi animam Deo commendarent. Contigit quandoque virum Dei per Nannetensem pagum cum aliquot fratribus iter habere; forte eis obuiam venit Arnoldus quidam, ingenti obsequentium turba stipatus. Erat enim mundi huius gloria, & diuitiarum existimatione facile princeps. Hunc postquam vir sanctus admirabili quadam sermonis suauitate, ad omne virtutis, pietatisque rationem informasset, dixit vni de fratribus. Haecenus quidem pro ingenij nostri tenuitate, huic viro illustri spirituales ministramus potum, superest, ut hortante nos charitate, corporalem etiam pariter sumamus. Cui frater cum responderet, perexiguam admodum vini adesse, quod vix heminae mensuram excederet, vir Dei id ipsum quod esset, adferri iussit, atque de Christi benignitate confidens, expresso crucis signo, vinum ita redundauit, ut singulis singuli calices vino pleni suppeterent, nec tamen exhaustum esset. In cuius sane praecleari miraculi testimonium vasculum illud, vnde vinum fundebatur, in S. Patris afferuatur monasterio.

Vini edita  
cruce auge-  
scia.

Magna erat in viro sancto prudentia, magna in regiminis sibi commissi officio moderatio, Tempus omne ita partiebatur, ut neque fratrum curam deponeret vnquam, neque sibi externa cura impeditus, minus caute inuigilaret. Interdum summo studio fratrum suorum salutem curabat.

rabat, noctu totus in rerum cælestium contem-  
platione, atque in sanctis precibus, & hymnis  
& psalmis versabatur. Accidit nocte quadam,  
cùm precandi studio monasterij sui basilicas  
lustraret, ut in vna ex ijs extinctum lumen re-  
periret. Iussit igitur fratri, ut lumen extinctum  
suscitaret. Sed cum ille manu lucernam gesta-  
ret, & nequicquàm contra venti vehementiam  
lumen tutari vellet, vir Domini iussit eum gra-  
dum sistere, & extenta manu, edito crucis signo,  
lumen extinctum restituit.

Signo cru-  
cis extinctum  
lumen ac-  
cendit.

Cùm aliquandò in pago Constantino, res mo-  
nasterij necessariò perlustraret, fuit benignè ad-  
modùm à viro Launo nomine, egregiè nobili,  
ad prandium vocatus. Non recusavit vir sanctus,  
sed ut erat comis valdè & iucundus, domum in-  
gressus benè ei precatus est. Launus summa bene-  
volentix significatione hospitem suum latus ex-  
cepit, & quamvis copia vini non suppeteret (ter-  
ra enim illa botros non gignit) tamen in tanti  
hospitis gratiam, liberaliter non modo conuiuio  
& amicis, sed pauperibus etiam & peregrinis su-  
peruenientibus promi iussit. Peracto prandio, vir  
Dei ad ædes suas in villam Oglandam redijt. Por-  
ro Launus postridiè, num quid vini superesset,  
ex vxore sciscitatus est. Vxor vase diligenter in-  
specto, plenum illud omninò reperit, moxque  
viro indicavit. Ille mirificè exhilaratus, mittit  
indè ad virum sanctum, simulque certiozem eum  
reddit, quanto ipsum Dominus ob eius merita  
beneficio affecisset. Negavit vir Dei meritis suis  
hoc tribuendum esse, sed potiùs eius benignitatis  
studio, quo pauperibus non minùs quàm sibi con-  
suluerat.

Humilitas  
S. Viri.

Erat vir Dei omnibus sanè virtutibus mirificè  
orna-

ornatus, nec ullis dæmonum insidijs in peccati consensum pertrahi poterat. Non tamen malignus propterea ei insidias struere cessauit, sed nunc hos, nunc illos, ad molestias varias, viro sancto inferendas excitauit, vt si non funditus eum euertere, saltem de aliquo virtutum gradu deijcere posset. Ad hanc rem rustici cuiusdā animum improba cupiditate inflammauit, vt de ephippio viri sancti aliquid præcideret, hacque ratione mentem eius à tranquillitate ad impatientiam pertraheret. Et ille quidem furtum suum perpetravit, sed mox diuina ultio hominē ita seuerè corripuit, vt tanquā ignibus inflammatus, conflagrare, & horrendos clamores, cum eiulatu valde miserabili edere, & Hermelandum inclamare cœperit. Accessit vir Dei, & hominē scelere victum precibus soluit, & cibo potuque abundè refectum, incolumem à se dimisit, monuitque nè deinceps maligno hosti assensum præberet. Eodem ferè tempore, alius quidam, stimulante cupiditate, boues sancti viri, qui onusta lignis plaustra trahere solebant, furto abstulit. Sensit vir Dei magno se commodo destitutum, sed tamen æquo animo ferens ad solita orationum præsidia se recepit, rogans Dominum vt boues abacti restituerentur. Tanta verò fuit earum precum vis, vt miser ille qui boues procul abegere moliebatur, multo confectus labore, manè ad cœnobij fores eos adduxerit. Gaudens vir Dei, recepit boues suos; porrò furem blandè castigatum admonuit, nè posthac se ab inimico dæmone in flagitium pelli pateretur: ne & hic obnoxius crimini pœnas daret, & postea apud inferos æternum cruciaretur.

lām verò cūm ætas ingrauesceret, non se remissus.

Furtum rustici, diuina ultio prosequitur.

Fur diuinitus cogitur, restituere abactos boues.

missus in spiritali palestra gessit, sed aliquid  
 potius virtutum cumularum desiderio, ad  
 conuersationis rigorem, quatenus quidem ferre  
 potuit, adijcere curauit; non minimam se iactu  
 ram fecisse arbitratus, si non quotidie aliquid  
 virtutum suarum exercitijs accessisset. Itaque  
 cum prouecta iam esset ætate, paruum oratoriū  
 in honorem Sancti Leodegarij martyris, ad fores  
 monasterij orientales extruxit; ubi abdicata pa-  
 storali administratione, quam non ambitione  
 sed necessitate diu gesserat, facta quoque fratri-  
 bus potestate alium eius loco sibi patrem deli-  
 gendi, sese inclusit; ut curis omnibus expeditis,  
 liberè soli posset esse diuinæ contemplationi in-  
 tentus. Adiunxit autem sibi quatuor fratres eius-  
 dem propositi, quos vnâ secum inclusit.

Eximius et  
 us feruor.

Oratorium  
 S. Leodegarij.  
 Abdicat se  
 Abbatis  
 functione.

Porro fratres cœnobij Antrensis subrogarunt  
 ei Adalfredum Abbatem, cuius electio licet sum-  
 ma regis voluntate approbaretur, Hermelandus  
 tamen diuino edoctus spiritu, eidem interesse re-  
 cufauit. Nam ille paulo post oblitus se patrem  
 esse, maligni dæmonis instinctu deprauatus, pa-  
 ternam functionem mutauit in tyrānidem. Nam  
 tum sui, tum fratrum cura neglecta, rebus super-  
 uacaneis sese dedit, & ab interioris vitæ studiis,  
 iusto Dei iudicio, prolapsus, sola externa secta-  
 tus est. Quod ut rescivit Beatus Hermeladus, acri-  
 oribus eū verbis obiurgauit, omniq; contentione  
 in eo pugnavit, ut eū ab animi fastu quo turgebat,  
 ad humilitatis studiū & animarū curā, quæ prima  
 illi esse debebat, traduceret. Sed ille cū aures ani-  
 mūq; sanctis eius monitis oclusas haberet, diui-  
 nam ultionem imminentem expectare maluit,  
 quam ad mentem redire. Eo enim impietatis ho-  
 mo ille proruperat, ut non contentus Christi pa-  
 trimo-

Adalfredus  
 Abbas in-  
 humanus.



rimonium fratribus illis relictum, in res inutilis profundere, verum etiā alimenta eis necessaria subtraxerit, & quod dictu quoque nefas est, dirissimè flagellari voluerit. Hanc inauditā in monacho tyrannidem, Hermelādus cū intellexisset, fratres suos, quacunque potuit ratione consolatus, tandem ingemiscens ait. Silete fratres, silete, videbitis enim repentinum eius interitum. Nec enim vel vnus mensis spatio, licebit ei lucis huius vsura frui. Ab hinc tertio die, miser ille Adalfredus vidit, se in visione beati Hermelandi scipione verberari, & eiulans, coepit velut ignibus inflammatus dirè torqueri, atque hoc modo vitam cum morte crudeli commutauit.

**Diuina Visio in Adalfredum.**

**Donatus successit Adalfredo.**

Illo extincto, vnus è fratribus. Donatus nomine, consilio & auctoritate Hermelandi, subrogatus fuit; qui summa cum laude monasteriū, quoad vixit, gubernauit. Interea Hermelandus plenus dierum, & virtutum omnium splendore illustis, cum iam tempus illud à Deo præfinitum adesse intelligeret, quo ex vitæ huius miseris ad alteram vocandus erat, fratres iterum atque iterum ad suscepti semel propositi constantiam hortatus, sacro se Dominici corporis & sanguinis sacramento muniuit, atque inter orationis

**Moritur feliciter S. Hermelandus.**

**Miracula ad sepulchrum eius.**

verba, spiritum in manus benignissimi creatoris efflauit. Sacrum eius corpus, multis cum lacrymis in Basilica B. Pauli Apostoli conditum est, vbi non pauci magna sanitarum beneficia diuinitus sunt adepti.